

POSITIONES PHILOSOPHICAS,  
STIPENDIARIOS TAM PÚBLICOS, QUAM  
PRIVATOS EXERCITANDI GRATIA,

CONS. AMPL. FACULT. PHIL.

EXHIBET

STIPENDIARIOR. H. T. INSPECTOR,

*ANDREAS JOHANNES LAGUS,*  
Theolog. Doct., Philos. Pract. Profesor, Imper. Ord.  
de S. Wolod, in IV Classe Eques,

RESPONDENTE

*GUSTAVO FREDRICO LAURELL,*  
Stipend. Publ. Wiburgensi,

In Auditorio Philosophico, die VI Febr. MDCCXXII,  
horis a. m. solitis,

VENTILANDAS.

---

ABOÆ,  
ex Officina Typographica FRENCKELLIANA.

## I.

**Q**uidnam substratum hominis ultimum, vel substantiam circa experientiae fines latenter efficiat, theoretice erui non potest neque explicari; quin potius absolutum illud, quod in omni vicissitudine idem permanet duratque, respectu hominis, ut & reliquorum, quæ labantur mutanturque, in sola versatur idea, imaginariique instar est foci, ad quem omnia referamus accidentia. Respectu autem practico ipsa hominis spontaneitas absoluta cuivis illuc escit cogitanti. Rationis namque autonomia in conscientia unius cuiusque mortalium modo semet indicat evidentissimo; ut semet non aliter, atque hujus subiectum, propterea que prorsus non ut naturam, cuius existentia mera accidentis ad aliud quoddam relatione contineatur, cogitare posse homo, efficiens. Crassissimis itaque tenebris cooperta cum sit physica hominis natura, existentiaque, vel ante hanc vitam quæ fuerit, vel post ipsam futuræ ratio vel acutissimæ fugiat mentis aciem; ad mores tamen humanos quæ pertineant nullis obfuscantur tenebris, neque minus certa indubiaque, quam immediata quævis alia, est cognitio, neminem fugiens mentis compotem, ratione sui ipsius, ad personalitatem suam aliorumque, tamquam scopum per se atque omnium, quæ exsiliant, finem ultimum suspiciendam, obstrictum esse mortalium quemvis,

## II.

Ut Theoretica Philosophia, critica tractata methodo, assumptionem cognitionum transcendentium quamvis inanem esse usum-

usuque vacuam ostendit, rationis ope solius nullum cognosci posse objectum evincens, & decreta intelligentiae purae, quæ ultra fines & carcerae experientiae evagentur, rejiciens; ita & Philosophia Practica, jus legem arbitrio constituendi summum rationi vindicans, omnemque repudians legislationem, rationi peregrinam, quæ demumcumque, vel intra, vel extra naturam ejus putata fuerit origo, usum ideæ cujusvis ethicæ in territorio experientiae restringit. Errant itaque qui principium moralitatis extra naturam suam rationis participem investigare homines jubeant, quippe, quum quæ agenda sint vel omittenda non aperire valeant contemplationes quædam transcendentes, sed sola ratio gravisque conscientiae vox, eidem concinens, clare significet, neque materiam obligationis ministrent vana de relationibus suprasensualibus somnia, quam afatim inveniet bonus quisque, ubi ad morales, quæ semet ipsum aliosque premant, necessitates serio vereque attenderit,

### III.

Æque perperam agunt qui ultimum rationis Practicæ principium e superiori quodam, extra nos posito, derivare conentur, ac illi, qui actum rationis theoreticæ primarium, deque illo notiones, v. g. categorias, fundamento quodam nobis peregrino superstruere student. Versantur in repræsentationibus originariis actus hi, suntque ipsæ de functionibus hisce primariis notiones ipsa illa adjuventa, quibus solis efficiamus, ut aliquid rite cogitare possimus & intelligere. De quo quidem facile persuadeberis animadvertendo, omnem tibi cognitionem, quam vel ipse intellexeris vel alii, cognitionem omnem peritaram, ubicumque hæcce deferens cognitionis fundamenta ad scientiam anniti fueris conatus. Eadem est ratio primitivi atque originarii ipsius actus, quo Legem sancit Ratio universalem & absolute imperantem, quem quidem meditari poteris, ab aliis, quæ tibi conscientia ministret offeratque, secernere, atque ita conceptu excipere & continere, sed non, faluis de justo & honesto notionibus, alio quodam fundare. Absolute legislatricem esse Rationem, agnoscere qui-

quidem cogimur; at vero divinam hancce unde habeat facultatem, ad ipsam Rationis esentiam quia pertinet autonomia, ne querere quidem sine absurditate possumus.

#### IV.

Ut multa sunt & insignia diui PLATONIS in Philosophiam merita, ita maximum, quod ideas ad religionem pertinentes clarius atque ante eum factum fuerat, expofuerit, arctissimi, quo cum moralitate haec conjungitur, vinculi numquam oblitus. Cujus itaque philosophemata quo attentius consideraveris, eo luculentius tibi apparebit, practicum fuisse invitamentum, quo duabus ad existentiam Dei immortalitatemque animi humani theoretice demonstrandas progrederetur. In quo etiam si poëtico suo nonnihil indulgeret ingenio, limites tamen, qui Philosophiam a Poësi distinguunt, non neglexit, neque opinionem cum cognitione confudit. Ipsius philosophia, quod religionem oleret meditationemque frigidam cum phantasie lenociniis temperaret, recentiori, qua reviviseret religionem scrutandi ardor, tetati præprimis placuit. At quam rationem inter & phantasiam, hanc illi subjiciens (sine quo pereunt lumen & veritas cogitationum) PLATO observaverat relationem, mutarunt Neoplatonici, phantasie par, atque rationi, quæstiones altissimæ indaginis disceptandi dijudicandique jus concedentes. Quo factum, ut multa, in scriptis Plotini, Procli, Porphyrii, Iamblichi cet., ad nostra tempora superstibus, invenienda, tum in Philosophiam in universum, cum in Practicam, vitia irreperent, quorum inter maxime absurdia fuit assertum, non perfectionem moralem, sed mysticam, quæ ex homine Deum efficeret; cum Deo conjunctionem quandam ultimum hominis esse scopum.